



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Aliqua ex Tridentino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

ex vi Cruciatæ quilibet Sacerdos approbatus ab Ordinario eligi possit ubique in Confessorem, nullum omnino inter utramque Cruciatæ Bullam est discrimen.

SECTIO II

Advertenda.

S. I.

Aligua ex Tridentino.

SUMMARIUM.

Ait cuilibet Sacerdoti vi Ordinationis conferri potestatem absolvendi, n. 34.

Ait approbandum tamen ab Episcopis, nisi sit Parochus; & derogat cuique consuetudini, ibid.

Insignes Tridentini prerogative, n. 35.

Reges Catholici sunt Tridentini Protectores, imò omnes Reges, ibid.

Ad eos recurrere potest pro Tridentini defensione, ibid.

Nullus quantumcumque doctus, & laureatus, nisi sit approbatus, absolvere potest, n. 36.

Nec licite, nec valide, n. 37.

Sacerdotes vi ordinationis habent tantum potestatem remotam; vi approbationis habent proximam, ibid.

Tridentinum ait non approbatus reputandum non aptum, n. 38.

Derogat omni immemorabili consuetudini, n. 39.

Invalide unus Sacerdos non approbatus absolvit alium Sacerdotem, ibid.

Invalide Parochus suas vices dat Sacerdoti non approbato, ibid.

Cur Tridentinum dicat Sacerdotem approbandum ab Episcopis, n. 40.

Etsi Tridentinum unice dicat, Sacerdotem ab Episcopo approbandum, præciscendo an esse debeat diocesanus; attamen ex definitione Pontificum constat, Tridentinum intellexisse diocesanos, n. 41.

Ubi eadem rationis identitas in opinionibus, idem quoque damnationis motivum, n. 42.

Si hæc ratio perpensa fuisset, vix ulla opinio damnanda fuisset, n. 43.

Laxorum Interpretum argumentum, n. 44.

Scopus Tridentini est prospicere juri Episcoporum in Confessores sui gregis, ibid.

In Decretis non solus verborum sonus, sed finis notus attendendus, ibid.

Omnes opiniones circa confessionem à jure Episcopali se subtrahentes, sunt falsa, ibid.

N.
34

P Ræcipuum, quod præ oculis habendum, est Tridentini Decretum sess. 23. de Reformatione cap. 15. quod dicit: *Quam-*

vis Presbyteri, in sua Ordinatione, & peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones Sacularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur necessarium, aut alius idoneus judicetur; & approbationem, que gratis detur, obtineat; privilegio & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus. Hæc Tridentinum.

Quamvis autem selectissima potest in N. Tridentini commendationem referre, satis superque erit illud attentè revolvere, prodibit illico Spiritus Divini Magisterium Ecclesiam suam instruens, quid credere, quid agere, quid fugere, quid reformare debeat. Satis quod refert Barbosa in collectione ad Tridentinum sess. 25. de Reformatione cap. 3. n. 2. Carolum V. in Germania, & Hispania curasse ut Tridentini Decreta recipere: Et idem à Philippo II. ejus Filio prelitum: & Hispaniarum Regem vocari Concilii Tridentini Protectorem, ad quem recurri legitime potest pro defensione eorum, qui in Tridentino continentur. Quin & de Reformatione cap. 20. n. 15. ait non tantum Regem Catholicum, sed supremos Reip. Catholice Principes esse Decretorum Concilii Protectores. Omitto Doctores copiose jura morem ab eo citatos. At, me iudice, quod omnem excedit laudem est, institutum Romæ Congregationem, ejus maxima cura est Tridentini Decretis invigilare.

Sed redeo ad Trid. Decretum. Ecce præ N. modo, per tunc nullum excludi quemcumque ab Episcopo non approbatum; ergo nullus, etiam Regularis, etiam Theologus, & juris Canonici laurea celeberrimus, si ab Episcopo approbatus non sit, aut Beneficium Parochiale non habeat, absolvere potest. Lege P. Sarr. tom. 4. in 3. p. d. 28. sess. 5. & 6. P. Fagund. de Lug. d. 21. de Pœnit. & alios passim. Porro per Beneficium Parochiale seu Curatum venit Beneficium curæ animarum conjunctum, seu, ut alij, venit Beneficium cum jurisdictione ordinariâ, ut ait P. Sarr. l. c. sess. 4. n. 21. P. Fagund. l. c. n. 41. P. Barti p. 2. tr. 5. cap. 2. n. 4.

Ecce 2. per tunc non posse decerni à Tridentino, nullum absolvere posse nec licite, nec valide, nisi sit ab Episcopo approbatus: ex- cipe semper qui Beneficium Curatum habent ex gr. Parochi in sua Parochia, Episcopi in sua Diocesi, & Prælati Regulares copii in sua Diocesi, & Prælati Regulares maiores quoad suos subditos. Ita P. Sarr. lib. 6. de Matr. d. 38. n. 20. Bosius de triplici

Privilegio Jubilæi *scilicet* 3. m. 79. & alii apud Barb. in Collect. *scilicet* 23. de Ref. *cap.* 15. n. 4. & 5. Dixi non posse *valde*: quia et si omnes Sacerdotes vi Ordinis habeant absolventi facultatem; ea tamen ut executioni mandetur, eget approbatione: ergo qui sine approbatione absolvit, quia sine potestate proximam absolvit, invalidè absolvit: & qui à non approbato absolutus fuit; quia absolutus non fuit; tenetur, ut novit, confessiones reiterare. De quo infra.

N. 38. Ecce 3. Confessorem ab Episcopo non approbatum; et si Tridentino reputandum non idoneum; et si foret doctrinam, & virtute conspicuus. Cur autem non est reputandus idoneus? sanè, non quia careat absolventi potestate? hanc enim ex vi Ordinis habet, ait, expressè Tridentinum, sed quia ea potestas erat quasi conditionata, seu nisi ab Episcopo sacerdos ille approbaretur, ut Tridentinum declarat.

N. 39. Ecce 4. Concilium hoc suum Decretum vult adeo inviolabiliter observandum, ut deroget omnibus privilegijs, & omnem etiam immemorabilem aboleat consuetudinem, suæ definitioni oppositam, insinuat obiter antiquo Sacerdotum more, se mutuo absolventi, & Parochorum consuetudine, qui suas vices absolventi oves suas committunt Sacerdoti cui volebant, et si non approbato ab Episcopo. Quæ opiniones sunt certo falsæ, & Tridentino oppositæ.

N. 40. Ecce 5. non sine magno mysterio à Tridentino expressum ab Episcopis, non ab Episcopis, quod tamen à nemine observatum, legi inueniens non satis unius Episcopi approbationem, ut precluderet aditum lententis assentientibus, quod approbatus in uno loco sit ubique approbatus; & approbatus ab Episcopo antecedenti sit approbatus subdituto alio. Vult ergo Tridentinum Sacerdotem ab Episcopo, immò ab Episcopis approbandum. Ab Episcopo loci, si Confessor audiat confessiones eo in loco, & eo non mutato. Ab Episcopis, si hic & alibi, aut mutato eo in loco Episcopo approbato.

N. 41. Ecce 6. quod licet Tridentinum expressis verbis unice tradat, quod sit necessaria approbatio Episcopi, preiudicando, an Dixerint, an cujuscumque; atque adeo ex vi Tridentini textus unice damnata sit hæc ei eontradiçtoria, *Non est necessaria approbatio Episcopi*; attamen negari nequit, quod alijs successu temporis à Pontificibus damnatæ non opponantur ipsi Tridentino. Pater ex Pontificibus, qui damnantes sinistras aliquas Doctorum interpretationes, & opiniones, expressè fatentur se Tridentino in hære-

re, immò ideo damnant, quia Tridentino oppositæ; ergo signum est, quod dictæ opiniones à Pontificibus damnatæ intelligebantur à Tridentino damnatæ. Pater quoque ex fine Tridentini, qui est Episcoporum auctoritati, & jurisdictioni prospicere: ergo quæcumque opinio eludens hunc Tridentini finem præintelligitur à Tridentino damnata: & ideo Pontifices dum aliquas subinde damnarunt, sepius fatentur se Tridentino in hære; quali implicitè saltem forent à Tridentino damnatæ.

Ratio à priori est; quia ubi est eadem rationis identitas, & damnationis motivum, si una damnatur, damnatur & alia; sed eadem est motivi identitas in hac, *Non est necessaria approbatio Episcopi Diocesani*, ac in hac, *Non est necessaria approbatio Episcopi*; ergo si hæc, ut opposita Tridentino assenti, approbationem Episcopi esse necessariam, est damnata; etiam illa censenda est damnata. Minor probatur; quia motivum ob quod damnata est hæc, *Non est necessaria approbatio Episcopi*, est, quia tollit, tum subjectionem Confessorum necessariam, & Episcopis omni iure debitam; tum ne Episcopi suas vices respectu suarum ovium impleant, ejiciendo lupos, seu Confessores nullius doctrinæ, & virtutis; sed hoc idem motivum inest, ut patet huc propositioni, *Non est necessaria approbatio Episcopi Diocesani*; ergo si prima damnatur à Tridentino, & ista. Similiter si opposita primæ deciditur à Tridentino ut vera, nempe, *Est necessaria approbatio Episcopi*; opposita quoque secundæ intelligitur identitate motivi decisa ut vera, nempe, *Est necessaria approbatio Episcopi Diocesani*.

Hoc si advertissent Patroni damnatarum, quod ubi est eadem motivi identitas, idem est utriusque opinionis meritum, ita ut, si una damnatur, & alia; si una approbatur, & alia; nullam dedissent Pontificibus ansam damnandi expressis terminis eorum opiniones, Decretum, & finem Tridentini eludentes; & quod amplius miror est, non ducti aliquâ gravi ratione, sed unice hac, quod eorum opiniones non opponantur expressis terminis Tridentino. Ita enim arguunt.

Ex Tridentino non est necessaria nisi approbatio Episcopi; ergo Sacerdos aliquo in loco ab aliquo Episcopo approbatus potest ubique absolvere. Aliæ posteriores ita: Ex Urbano VIII. & alijs non est necessaria nisi approbatio Diocesani; ergo limitatè à Diocesano approbatus potest illimitatè absolvere. Aliæ demum post Decretum Clementis X. quin post Innocentij XII. Bullam in sua rudi literaturâ contumaces ita: Non est necessaria

